



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

XVII. De poenitentia homicidii voluntarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

ANNO
CHRISTI

tas, vt si per ambitionem maiorem ciuitatem appetierit, & illam perdat quam tenuit, & illam nequaquam obtineat quam vsurpare tentauit.

XVII.

Si quis voluntarie & per insidias hominem interfecerit, iugi se pœnitentiæ submittat. Et si hoc publice actum constat, si laicus est, a communione orationum quinquennio remoueatur: post quinquennium, tantum in orationum communionem recipiatur, non autem offerat, non corpus Domini contingat. In quo perdurans quatuordecim annis, tunc ad plenam communionem cum oblationibus recipiatur. *Si quis de industria & per insidias occiderit hominem, ab altari meo euelles eum, vt moriatur, dicit Dominus.*

Iuo part. 10.
cap. 145.

Exod. 21.

XVIII.

Si quis casu non volens homicidium perpetravit, quadraginta diebus in pane & aqua pœniteat. Quibus peractis, biennio ab oratione fidelium segregetur: non communicet, nec offerat. Post biennium in communionem orationis offerat, non tamen communicet: post quinquennium ad plenam communionem recipiatur. Abstinentia ciborum in arbitrio sacerdotis maneat.

Iuo part. 10.
cap. 145.

XIX.

Cum Apostolus dicat: *Mulieres in ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui: turpe est enim mulieri loqui in ecclesia*, mirum videtur, quod quædam mulierculæ, contra diuinas humanasque leges attrita fronte impudenter agentes, placita generalia & publicos conuentus indefinenter adeant,

Iuo part. 7.
cap. 103.
1. Cor. 14.